



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

79. An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eadem die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus? Et notatur non esse necessarium tempus viginti horarum inter sumptionem Eucharistiae ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

iterum communicare, non esse illi communionem denegandam; non est cur hæc Pontificis facultas limitanda sit ad solam communionem ante cibum: tum quia ad hanc necessaria non erat noua Pontificis declaratio, & facultas, cum etiam Concilia hanc facultatem infirmo concedant de communicando sæpius in eadem infirmitate, vt aperte illam concedit Concilium Mediolanense V. sub titulo, *Que ad Sanctissime Eucharistie Sacramentum pertinent, Canone penultimo*: ergo aliquid amplius concedit hic Pontifex infirmo, quod non concedunt Concilia: hæc autem est facultas, in eadem infirmitate communicandi etiam per modum Viatici: tum quia illa verba. *Et si dies aliquot vixerit*, consulto sunt posita, vt nimirum non statim semel sumpto Viatico, concedenda sit illi iterum communicatio per modum Viatici iuxta communem sententiam Doctorum, quia saltem requirunt vnam hebdomadam inter vnam & alteram communionem per modum Viatici: tum quia, cum Pontifex duas apponat condiciones, vt æger licite possit iterum in eadem infirmitate communicare, si aliquot dies vixerit, vel mortis periculum euaserit; cumque posterior intelligenda sit de pura communionem, cum per modum Viatici non liceat, nisi in mortis periculo illud accipere, prior conditio intelligenda erit de communionem etiam per modum Viatici; nam per particulam disunctiuam, vel, Pontifex satis declarat, aliud intendere in vno, atque in alio membro. Et hæc omnia docet Amicus in *Curs. Theol. tom. 7. disp. 47. sect. 2. num. 11. Palqualig. in Theol. tom. 2. contr. 111. sect. 4. num. 21. cum seqq.* Videat modo P. Hurtadus, si hanc sententiam nota falsitatis inurere debeat: ergo falsam opinionem Paulus V. in Rituali docuit. Apage hoc dicere, excessit igitur doctissimus Vir in supra citatis verbis, & censura; sicuti etiam non benefestatur esse praxim Ecclesiæ semel tantum præbere Viaticum infirmis non ieiunis, nam consuetudo Ecclesiæ est in contrarium, vt omnibus patet.

RESOL. LXXVIII.

An reus ad mortem damnatus, si pridie Eucharistiam sumpsit, possit in illo die supplicij denuo illam sumere, si cibum ex inaduertentia sumpsit?

Et quid, si forsan cibum aduertens sumpsit, si postea penitens facti vellet communicare?

Et docetur sanum damnatum ad mortem, si iudex nolit expectare, posse, imò debere Eucharistiam non ieiunum accipere eodem die supplicij, si ieiunus non possit?

Sed aduertitur eodem die plebendum capite teneri ieiunare donec sumpsit Eucharistiam, modo ieiunare possit absque notabili in commodo, sicut etiam agrotus, si commode potest, tenetur accedere ieiunus ad Eucharistiam sumendam.

Et asseritur duobus, aut tribus, diebus imò & pluribus sequentibus, si adhuc perseverat mortis articulus, vel periculum, posse infirmum non ieiunum communicare. Ex part. 3. tr. 6. Misc. 1. Ref. 41. alis 42.

Sup. hoc in duabus Ref. seqq. & supra in Ref. 74. §. penult. prope finem, verbi siue violentæ, sed lege eam per totam, & alias eius primæ not.

§. 1. Affirmatiuè respondet Quintanadueñas in *Theolog. moral. tom. 1. tr. 4. singul. 14. num. 5.* vbi sit ait: [Difficultas est, an si morti damnatus pridie ante supplicium ex deuotione, non pro Viatico, Eucharistiam sumpsit, (nam hoc reseruauit ad ipsum supplicij diem, velut communicare in ipso: ac cibum iam vel ex obliuione, aut inaduertentia, vel ex aliquali corporis infirmitate sumpsit; vtrum possit tunc non ieiunus communicare? Respondeo, posse: quia tunc certè est in mortis periculo, imò & in

articulo, iuxta Rodriguez *quest. 62. tom. 1. artic. 7.* præsertim cum ille iam cibum sumpsit, & differendum non sit supplicium, ac proinde non valet ieiunus communicare. Huic sententiæ maxime fauere Nauarrius *lib. 5. tit. de penitent. consil. 40.* Suarez *sup. Layman lib. 5. tract. 4. c. 6. num. 20.* Reginaldus *tom. 1. lib. 29. cap. 6.* Coninch *quest. 80. art. 3. num. 50.* Zambranus *sup. num. 3.* Henriquez *lib. 8. cap. 50. num. 2.* Bonacina *de Euchar. dist. 4. part. 2. n. 21.* Bartholomæus ab Angelo *dial. 4. §. 1.* Villalobos *tom. 1. tr. 7. disp. cult. 39. tit. 11.* Syluius in 3. part. *quest. 80. art. 8.* & alij docentes, sanum damnatum morte, si iudex nolit expectare, posse, imò debere Eucharistiam non ieiunum accipere eodem supplicij die, si ieiunus non possit. Et ita fecisse cū quodam reo plebendo Guæterum Archiepiscopum Granatensem, & testatur Zambranus, & Henriquez *vbi supra.*

2. Præterea adderem, quod si non ieiunus propter aliquam causam accipit per Viatico, die ante mortem, Eucharistiam; & in ipso supplicij die non solum ex necessitate, sed etiam ex ignorantia, vel inaduertentia cibum sumpsit, si vellet iterum Eucharistiam suscipere post cibi sumpcionem, possit; imò etiam forsan possit, si aduertens sumpsisse, sed postea penitens facti vellet communicare: quia utitur iure suo, & adhuc est in mortis periculo, & incapax recipiendi Eucharistiam non ieiunus. Hæc sententia videtur esse, quam Doctores n. m. 1. afferunt, dicentes duobus, aut tribus diebus, imò & pluribus sequentibus, si adhuc perseverat mortis periculum, & non ieiunus, possit iterum communicare. Que sententiam magis virget in hoc reo, quem certò scilicet alio die amplius non communicaturum, sed adhuc cum Coninch, & Bonacina *supra*, cum, qui aduertit, se eo die plebendum capite, teneri ieiunare, donec sumpsit Eucharistiam, modo ieiunare possit absque notabili in commodo, sicut etiam agrotus, si commode potest, tenetur accedere ieiunus ad Eucharistiam sumendam.] Et hæc omnia docet Quintanadueñas *loc. citato*, cui adde Hurtadum *de Sac. Euchar. dist. 5. diffie. 16.* Eligium Bassaui *in Flor. Theol. mor. verb. Communio sacra, num. 25.* & Escobar *Theol. mor. tr. 3. exam. 6. cap. 5. n. 62.*

RESOL. LXXIX.

An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eodem die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus?

Et notatur non esse necessarium tempus viginti horarum inter sumpcionem Eucharistie, & incipentiam mortem intercurrere.

Imò docetur posse Sacramentum Eucharistie ministrari damnatis ad patibulum ante vnam horam mortis.

Et an quauis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia a damnato, si tamen deuotionis causa ipse die mortis vellet iterum se communicare, esset magis praxim illi Eucharistiam dare, quam Communionem suspendere. Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. 4. Ref. 39.

§. 1. Affirmatiuè respondeo cū Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 7. diffie. 39. num. 11.* Zambranus *lib. 8. cap. 5. n. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 3. §. 80. disp. 68. tit. 10.* Layman *in Theol. moral. lib. 6. tract. 4. cap. 6. num. 20.* Syluius *in 3. p. §. 80. art. 8.* Reginaldo *in præced. tom. 2. lib. 29. cap. 6. §. 1. sect. 2. n. 20.* & Coninch *de Sac. §. 90. art. 7. num. 50.* vbi sic asserit. Quàdo quis est in præfenti periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue quod supplicio afficiendus suscipere potest

potest communicari non ieiunus, & quocumque diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus, quia saltem valde probabile est; talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quam præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicari. Secundo, quia cum communicatio tali homini sit tunc valde utilis, & quodammodo necessaria, vt in extrema illa lucta, tanto præsidio confortetur, & roboretur, noluit eum Ecclesia tanto bono priuare. Ita ille, & alij.

Sup. hoc est eod. Sancio hic citato in Ref. leg. §. 1. ad lin. 7.

2. Notandum est etiam hic obiter, pro damnatis ad mortem, non esse necessarium tempus viginti quatuor horarum inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipiendæ mortem intercurre, & licet hic Panormij, & in Regno Castellæ, & alibi, vt opinor, interualum vnius diei faciant intercurre, attamen hoc non est necessarium. Vnde ego puto eum Sancio in *select. disput. 40. n. 4.* quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum se communicare, minus pius esset Communione impedire, imò pij Iudices ad suscipiendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmoni, tentationes illa hora maximè turbantes facilius superent. Nec ex hoc reuerentia Sacramenti minuitur, cum Christus istud instituerit ad nostrâ utilitatem, & non coheret irreuerentia suscipi, & ob nostram utilitatem, si aliâs communicans debitam dispositionem habeat: vnde vellem hæc à Principibus, & Iudicibus prænotari. Ita Sancio.

3. Scio Iulium Clarum §. *fin. quest. 99. num. 3.* Corsetum *singul. 16.* Vegam *part. 1. cap. 61. cas. 2. 1.* Cucchum *inst. lib. 5. tit. 5. num. 107.* Ant. Scap. *de iur. non scrip. lib. 5. cap. 2. 10. n. 7.* & Zerolam *in praxi Episc. p. 2. ver. damnati ad mortem, & ver. Eucharistia,* reputare, indecenter recipi Eucharistia ipso die mortis, & ob id à Iudicibus non esse permitendum ministrari, & imputandum damnato, quod pridie mortis reuerit recipere.

4. Sed contrariam sententiam tenet Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 2. 4. n. 15.* vbi ita ait: Ego nonnullis in locis, quibus pro Episcopis magistratum gessi, validiore auctoritate qua potui, induxi, vt damnatis ad mortem ea ipsa die Cõmunio concederetur. Sic ille, & ita Romæ obseruari testatur Sancio, Corsetus, & Antonius Scap. *vbi supra.*

Sup. hoc in Ref. leg. §. 2. ante mediũ, cum in ver. Vnde ego.

5. Vnde asserunt multi, posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad patibulum, ante vnâ horam mortis. Et ita docent Emanuel Sà *verb. Eucharistia, num. 2.* quem sequitur Fagundez *de præc. Eccles. part. 3. lib. 1. cap. 4. num. 3.* & Sotus *in 4. dist. 12. quest. 1. art. 12. non longe à fine,* ait, quod apparet non nihil irreuerentiæ irrogari Sacramento, si quis Eucharistiam susciperet, & illic ad patibulum, & mortem raperetur; ergo dum dicit illic, non sentit fore irreuerentiam ante vnâ horam ministrari. Et hæc omnia à fortiori procederent, quando Princeps eo die vellet omninò reum patibulo suspendi; vt docent Petrus de Cenedo *in 99. can. 9. 3. n. 4. in fine,* & Doctores in principio resolutionis citati.

RESOL. LXXX.

An damnato ad mortem sit danda Eucharistia etiam si non sit ieiunus?
Et quid si post horam ad patibulum esset ducendus?
Et notatur, quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minus pius esset Communione impedire, quam Eucharistiam illi dare.

Tom. II.

Etiã quia aduertitur, reo expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, Iudex ad confitenda peccata, & Eucharistiam recipiendam tenetur dare tempus sufficiens? Ex part. 5. tract. 3. Ref. fol. 38.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Zambrano *de Sacrament. Euchar. cap. 3. dub. 8. num. 6.* vbi citat Nauarrum, Suarez, Henriquez, Sà, & alios, quibus ego addo Ioannem de Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 15. sect. 4. num. 72.* Fagundez *præc. 3. lib. 3. cap. 5. num. 21.* Præpositum *in 3. part. quest. 80. art. 8. dub. 2. num. 42.* Granadum *de Sacram. in 3. part. controuers. 6. tractat. disput. num. 9.* Tannerum *tom. 4. disput. 5. 9. 8. dub. 4. num. 84.* & Hurtadum *de Sacrament. Eucharist. disput. 9. difficult. 16.* quia supradicti tenentur ex præcepto, cum sint in articulo mortis, iungere Communione, neque violenta mors tollit eis hanc obligationem, si Iudex alium diem pro executione expectare nolit.

Sup. hoc in duabus præcedentibus & supra in Ref. 74. § penult. prope finem, ver. siue violētæ, sed lege eam per totam, & alias eius primæ not.

2. Nec valet dicere, indecenter recipi Eucharistiam in die ipso, quo reus iustificandus est: nam ego hanc sententiam *in 3. part. tract. 6. res. 59.* satis probaui, & probat Sancio *in select. disp. 40. n. 4.* & alij penes ipsum, qui quidem notat, quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum communicare, minus pius esset Communione impedire: imò pij Iudices ad suscipiendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmonis tētationes illa hora maximè turbantes facilius superent. Et quamuis lex Castellæ conuenientiùs iudicet ipso die mortis Eucharistiam non ministrari damnatis, ob reuerentiam Sacramenti, contrarium fortè decerneret modò ad utilitatem dammati animaduertens. Nec ex eo reuerentia Sacramenti minuitur, cum Christus illud instituerit ad nostram utilitatem, & non coheret irreuerentia suscipi, & ob nostram utilitatem sumi, si aliâs communicans debitam dispositionem habeat. Vellem hæc à Principibus, iudicibus, & Magistratibus prænotari. Ita Sancio. Vnde ego in praxi, si iustitia rei differri non posset, illum communicarem, etiam si post horam ad patibulum esset ducendus. Ita Sancio *loco cit.* & ego ipse *vbi supra,* omninò videndus. Notandum est etiam hic obiter, quod reo expetenti, vel non recusanti confessionem, & Eucharistiam, Iudex ad confitenda peccata, & ad Eucharistiam recipiendam tenetur dare sufficiens tempus. Pater, nam *in Clement. cum secundum, de penit. & remiss.* præcipitur Episcopis, vt suadeant, Iudicibus, & si necesse sit, compellant eos ad concedendum tempus sufficiens ad confessionem sacramentalem efficiendam. Eadem autem est ratio de Eucharistia, quia quando dicitur non denegandam penitentiam, aut concedendam penitentiam, hoc est, Penitentiam Sacramentum, consequenter intelligitur neque etiam Eucharistiam esse denegandam, vt patet ex *cap. quod in te, de penit. & remiss.* ibi in illo verbo, *per quod penitentiam morientibus non denegamus,* Viaticum etiam, quod verè penitentibus exhibetur, intelligi volumus. Imò reo non est denegandum prædictum tempus, etiam si timeatur inde fore, vt eripatur è carcere. Ita docet Syluester *ver. iudex primo q. 11. dist. 6.* & Petrus Nauarr. *lib. 2. de res. cap. 3. n. 26.* Tum quia dicta Clement. absolute præcipit Iudices esse compellendos, tum quia minus inconueniens videtur dicta ereptio, quæ reparari potest, quam aeterna damnatio, quæ non potest reparari. Quod si ex tali ereptione non timeatur damnatio Republicæ, & sit spes, quod recipiet Eucharistiam differendo suspendium, & confitebitur in-

Quæ hic est Ref. antecedens. Sup. hoc notato cum eodem Sancio hic citato in §. 2. Ref. not. præterita.

Sup. hac hoc in Ref. §. 6. vlc.